

Agricul. cap. 6. Virginem Matrem intra humana septa admittamus non in delectationem tantum, sed in munimentum. Cupressum igitur Deiparam vocant sanctus Laurent. Justinianus Serm. de Nativit. Mariæ, sanctus Bonaventura in Hymn. Te Virg. Hugo Victor. Serm. 47. de Assumptione, & alii multi. Audi Dionys. Richelum in Ecclesiast. 24. Artic. 25. Sicut Cupressus arbor solidissima nulli oneri cedit, & in monte Sion (Hermon) sublimiter eminet, sic ego in populo Christiano robustissima maneo, nec ulli vitio unquam cessi, nulli tentationi succubui, multiplicem confortationem eidem populo meritis meis, ac precibus impetravi.

1730 Etenim, dum hæc omnia in Carthusiensi Ordine Deipara ostendit, exaltari in illo, quasi Cupressus in monte Hermon, dicitur. Plantata ibi est intra sepem, ac muros, non ad delectationem dumtaxat, sed ad sepimentum totius Carthusianæ Familiæ, & validissimum munimentum. Multiplicem confortationem idem Ordo, vel à suæ institutionis principio, meritis ac precibus Deigenitricis adeptus abundè est. Cum enim Carthusiensis Religio adhuc recens, ac tenera in Gratianopolitana Diocesi (ubi Carthusiæ eremus horrida, & asperissima) insigante Dæmone adversus illud institutum, & absente præsertim Brunone fundatore, quem Urbani II. imperium Romæ recinebat, magna tempestate jactaretur. Nam ex una parte vitæ austeritas, loci horror & vastitas, ipsamet insuper paucitas molesta & odiosa: ex altera interior Dei spiritus, stellæ duces, Juris illius consulti Parisiensis tam dirus exitus alternantes in Carthusianorum animis effiebat. Ecce vir venerabilis cano capite, crispoque capillo eis apparuit dixitque: Perplexi estis, fratres, utrum hoc in loco permanere, vel ex eo excedere debeatis. Sed ego dico vobis verbis omnipotentis Dei, benignissimam Dei genitricem Virginem perpetuam vos in hoc deserto loco conservaturam, si in ejus honorem quotidie legere velitis preces ejus horarias. His dictis spectrum illud cæleste evanuit. At illi incredibili affectu gaudio, illam sacrosanctam Virginem Patronam totius Carthusianæ institui sibi delegerunt. Hactenus Surtius 6. die Octobris, & ex illo noster Plati de Bono status Religiosi libro 1. capite 34. Qui etiam observant, Principem Apostolorum, fuisse qui eis apparuit. De his Horarius Precibus Beatæ Mariæ à Carthusiana Familia, divino monitu susceptis, ac de eadem Deigenitrice Patrona à Carthusiensibus adscita, Baronius agit ad ann. Christi 1095. Adde quod Surtius refert relatus: primum Templum in editiori Carthusiæ montis parte à Brunone extructum in Beatissimæ Virginis Mariæ honorem. Quæ omnia perspicue satis demonstrant ingentem Carthusiani Ordinis pietatem erga Deiparam Virginem; & quam gloriose in hac Familia quasi Cupressus in monte Hermon exaltetur ipsa. Et quidem, cum Cupressus, vel vocabulo hoc ipso suo, gratiam præ se ferat à primo petitam exortu, originale Mariæ gratiam portendit, quam tantopore Carthusiani omnes semper propugnarunt, abundè edocti à suo Protoparente sanctissimo, sapientissimoque, ut claret ex ejus Commentariis in Pl. 101. v. 2. & Serm. de Nativit. Virginis; cuius verba supra habes n. 485. & 488. quæ huc revoces.

Surtius.

SECTIO XXXIX.

De Dominicana Prædicatorum Familia sacra, & illustri per Cades, sive Engaddi designata: deque gloriosa ibi Christi, ac Deiparæ exaltatione.

§. I.

Res tota firmatur, & illustratur.

1731 **A**dest jam clarissimum Ecclesiæ Orthodoxæ lumen, & nobilissimum Fidei Evangelicæ asyllum, Prædicatorius Ordo cum suo auspice sanctissimo & sapientissimo Dominico ex nobili Gufmannorum Familia Calagoræ in Hispania edito; qui secundum præcedentem prophetiam matris per quietem ostensam, fax lucis foret, vitæ sanctitate illuminaturus orbem, & canis latratu abacturus feros lupos, nempe voce prædicationis debellaturus Hæreticos. Hic Ordo, inter Mendicantes Ordines, primus extat ab Ecclesia approbatus, imò primus est inter Religiones omnes, qui simili approbatione solemnè, & authentice scripta statim à suo gaudet exordio anno D. 1216. Videndi sanctus Antonius 5. parte Hist. Titulo 23. Cassillo in Chronico sancti Dominici, & noster Surtius Tom. 4. de Religione Tract. 9. lib. 2. cap. 6. Surtius Tom. 4. in vita sancti Dominici, die 5. Augusti, ubi latè de Religione Dominicana.

1732 Hanc ergo prælustrem Familiam præsignari autumamus per Cades, Gaddi, sive Engaddi, oppidum ad mare mortuum, vicinam habens Jerichuntem, ut in enodatione textus statuimus; ubi etiam palmarum urbem appellatum diximus, ob copiam palmarum in eo tractu provenientium. Quod in primis probaverim Hugonis Cardinalis interpretatione, qui dum illud premit: Sicut Palma exaltata sum in Cades, explicat sci-tissime, Id est, in bonis actibus, in quibus vigent maxime consilium & fortitudo, scientia & pietas. Quæ omnia replendent nimio opere in Prædicatorio Ordine, qui activam vitam ex suo proprio instituto amplectitur, dum non solum salutis propriæ, sed proximorum etiam impensè procurandæ studet. Sic enim habes in Prologo Constitutionum illius Ordinis: Ordo noster specialiter ob prædicationem, & animarum salutem ab initio noscitur institutus fuisse, & studium nostrum ad hoc debet principaliter attendere, ut proximorum animabus possimus utiles esse. Atque huc spectant consilium, fortitudo, scientia & pietas: quibus hæc sacra Familia facillè præstat: nempe ut vitam restituat emortuis animabus, peccatum aboleat, Hæreses oppugnet, & Christianæ fidei incrementis incumbat.

1733 Rursus, ex Cades etymologiâ id etiam probatur. Nam, ut supra dicebamus, Cades Hebræis sonat sanctitatem; Cades etymologia hanc spectat familiam. sit enim eam vocem Vulgatus Interpretes communitet effert. Sonat etiam puritatem, atque munditiam à verbo Cades, quod LXX. interdum vertunt expio, emundo, purifico. Sancto Hieronymo de Nom. Hebræi. Cades sonat commutatus, sanctus, sanctitudo, aut mutata. Aliis verò, sanctificatio, consecratum. Quæ nominis etymologiæ bellissimè cadunt

S. Dominicus Protolus.

Per Cades, sive Engaddi designata.

Hugo.

Prædicatorius & affinitas est Ordo.

hanc spectat familiam.

cadunt in Dominicanam Familiam, ut per Cades designetur. Ipsa enim specialitudo consecrata Christo, ac Deiparæ est. In ipsa sanctitas eximia resplendet, & ipsa etiam sanctificatio, puritas, & mundities. Ut enim in sancti Dominici vita lib. 2. capite 12. apud Surtium memoratum scribitur, Verè felicem & inelytum Prædicatorum ordinem Angelico Ordini simillimum, purgat enim instar Angelorum immunditiam peccatorum &c. Certè cum ipsa sancta sit, & ipsa quodammodo sanctitas, qui cum ea conversantur, sanctificantur, sancti fiunt. O quot animarum millia sanctificavit! Verè munda, & immaculata Familia. De qua in vita sancti Dominici lib. 6. cap. 6. illud scitu dignissimum traditur, referente quodam religiosissimo Fratere, qui cum intra breve tempus centum Fratrum Dominicanorum audivisset confessiones, eos quidem integra mente, & corpore inviolato conservasse virginali integritatem, comperit. Quòd si unus sacerdos in confessione tot potuit invenire Dominici alumnos puritate & munditie virginali præclaros, quantam putabimus in universo hoc Ordine latere sanctimoniam, corporis & animæ puritatem? Nimirum (ibidem subditur meritisimè) de florigerò prædicatorii institui horto, Virginis Matris manu plantato, hæc lilia colligit flos Virginis, & Filius Dominus noster Jesus Christus.

1734 Deinde, ex Gaddi, seu Engaddi etymologia nostra interpretatio. Etenim Gaddi sonat communiter, felix, accinctus, bona fortuna: à voce Gad, id est, felicitas, fortuna, stella Jovis, vel certam constellationem stellarum, aut exercitium. Unde Engaddi significabit oculum, aspectum, sive fontem felicitatis, bona fortune, stellæ, vel stellarum: nam Een Hebraicè, Latine oculus, aspectus, & fons est; & Gaddi præjectam habet significationem, indubiè ad nostrum institutum arcanam. Et ut à bono fidere incipiamus; aptissimo quidem nomine Prædicatoria Dominicanorum Familia Engaddi appellatur, id est, aspectus stellæ, vel fons stellarum. Nonne Dominicus adhuc infans visus quondam est stellam fulgentissimam fronte ferens, cujus immodico splendore totus irradiabatur Orbis? Hoc certè fidereo indice, vel ab infantia, illum designavit Deus, destinavitque prædicationis muneri, quæ universum terrarum Orbem illuminaret, & Pater esset, atque institutor Prædicatoriæ Religionis, quæ tota siderea est, stellarumque fons: cum ex ea tot stellæ emanent, quot filios habet doctrina prædicationis, & sanctitate præclaros. Ut enim eleganter sanctus Leo Serm. 3. in Epiph. Quicumque in Ecclesia piè vivit, & caste, qui ea, quæ sursum sunt, sapit, non quæ super terram; cælestis quodammodo instar est luminis; & dum ipse sanctæ vite nitorem servat, multis viam ad Dominum quasi stella demonstrat. Hoc planè præstantiore ratione Dominicus præstitit, præstatque ejus Prædicatoria Familia. Cui utpote vincenti datur ut sit stella matutina: Dabo illi stellam matutinam, Apocalyp. 2. vers. 28. Quasi stella matutina in medio nebula. Ecclesiastici 50. vers. 6. & Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti: & qui ad justitiam eruditi multos, quasi stella in perpetuas æternitates, Dan. 12. 3.

Sub felicissimo nata sidere.

Tota siderea, illuminata, & illuminans.

S. Leo.

Apoc. 2. 28.

Ecc. 50. 6.

Dan. 12. 3.

P. Ildeph. de Flores in Ecclef.

1735 Hinc Prædicatorum Familia verè oculus, aspectus, & fons stellæ, vel stellarum. Hinc felicissima, fortunatissima, quam nullum infestavit infortunium, fons felicitatis, aspectus bona fortune à felicissimo fortunatissimoque sidere Institutore Dominico, ab stella divinitus ejus fronti infixæ: natio con buona estrella, buona fortuna le correrà. Hinc accinctus Ordo appellandus, benè dispositus & ordinatus exercitus, paratus ad prælium, ad victorias, ad triumphos, quos de Hæresibus, de idololatria, de vitis agit gloriosissimè, ut Sathanæ evertet regnum, & genus humanum Deo conciliet. Verè hic Prædicatorum Ordo, stellarum exercitus: in quem merito cadit illud Ecclesiastici 43. vers. 9. Vas castrorum in excelsis in firmamento cali resplendens gloriose species cali, gloria stellarum, &c. Tigurina vertit: Apparatus castrensis in altitudine, in folio cælesti resplendens est decus cali, gloria astrorum. Stellas vocat aciem bellicam ordinatam à Deo: & altiori intelligentia, eo nomine gloriantur Dominicani Prædicatores. Qui benè præcincti, & manentes in Ordine suo stellæ illæ sunt, quæ contra Sifaram pugnaverunt. Judic. 5. vers. 20. Cum autem Sifara Hebræis sonet Hirundinem videns; & Dominicanorum Habitus (liceat his quandoque uti minutis) Hirundinis speciem præ se ferat candidæ ac nigræ; atque ea alacritate, eo studio, eaque vocis contentione Evangelium annuncient, qua Hirundo vocalis, & garrula orientem expectat, & excipit solem, ut Regi Ezechie olim contigit Ilai. 38. vers. 14. Sicut pullus Hirundinis sic clamabo; sit inde, Dominicanam Familiam ad instar esse exercitus stellarum in Ordine suo adversus Sifaram, id est, Hirundinem videntem, pugnantium. Sifara enim, ut Origenes interpretatur Hom. 5. carnalium vitiorum, & animalis, vel stolidi hominis tenet figuram. Porro dtm Hæreses, dum idololatriæ, dum vitia omnia Dominicanum Ordinem vident, Hirundinem vident excelsa prædicatione clamantem; stellas vident in Ordine suo manentes, & adversus Ecclesiæ hostes pugnantes, ac de illis gloriosos triumphos reportantes feliciter, fortunatissimè.

1736 Cæterùm, ut appareat, quam aptè Dominicanus Ordo per Engaddi designetur, observo, in illo Engadditano tractu, de quo sermo nostro Siracidi est, fuisse speluncam, in qua delituit David, & vocatur petra fidei, vel Dei fides: nam ubi sano tractu Vulgatus 1. Reg. 21. vers. 2. habet: Et pueris condixi in illum, & illum locum; LXX. vertunt juxta Editionem Romanam: Et pueris condixi in loco dicto Dei fides. Vox Græca, quæ ponitur pro Dei fides, est juxta Epitomen Aldi εμμανη, unde legit, in loco dicto Emmonin. Est autem εμμανη, stabilis, permanens instar saxi. Compluenses pro εμμανη habent φεραν, id est, in loco duro, saxoso, in rupe, in petra. Unde sunt qui transferant, in loco dicto rupes fidei. Chaldaeus vertit: adolescentes nisi ad locum occultum absconditum. Pagninus; & pueri scire feci locum cuiusdam, & locum ignotum talis. Biblia Hispana Ferrariensis: ia los mozos fice saber al lugar fulano encubierto. Certè, reconditum aliquod mysterium videntur hæc verba præ se ferre, & quasi P P 3 ænigmâ.

Ordo Dominicanus benè ordinatus exercitus ab pugnas.

lud. 5. 20.

Nigra atque Candida Hirundo.

1. Reg. 21. 2.

Orig.

In Engaddi petra fidei.



æmigmaticè indicare occultum quemdam locum ignoti cuiusdam, præcogniti tamen ab ipso Davide illuminato Propheta, quem fugitivum Saul Rex infligabat hostili animo. Minime fallar, si autem, præcognitam à Regio Vate Prædicatoriam Familiam, quam Engadditanum illud solum præsignabat. Nonne extra omnem debet esse dubitationem, Dominicanum Ordinem, inter reliquas Religiosorum Familias, locum extare, quem jure merito appelles *petram*, vel *rupem Fidei*? Ibi planè *Dei Fides* tutissima, stabilis, firma instar faxi; ibi fidelium asyllum adversus hostiles Hæreticorum impetus, & calliditatem. Quid Prædicatorio Ordine ad Fidei Christianæ defensionem tutius? A quo alio graviores sustinuerit istus Hæresum monstra, quam à Dominici alumnis? Pugnarunt validissime contra perverfos, obstinatosque Ecclesiæ Matris hostes, falsa debellarunt dogmata & morum exemplo, & splendidioris doctrinæ congressibus, Dominico Duce, & Antesignano, quem, inter Generales Inquisitores, integerrimos in causis ad fidem pertinentibus Judices, primum extitisse tuentur nec pauci neque ignobiles scriptores. Vide *Ludovicum à Paramo* libro 2. de origine Officii sanctæ Inquisitionis titulo 1. capite 1. numero 13. & capite 2. numero 1. & *Alphonsum Fernandez* in Concertatione Prædicatoria, anno Christi 1216. numero 2. & nostrum *Sherlogum* Tom. 3. in Cantic. Vestigatione 34. in explanatione mystica sect. unica numer. 31. Hinc innumerati, illique præclarissimi viri ex Dominicano Ordine assumpti ad sanctæ Inquisitionis laudatissimum Officium non absque ingenti Orthodoxæ Fidei emolumento. Cur non *petram*, vel *rupem Fidei* appellabimus Prædicatoriam Familiam?

Dominicana Religio petra, rupes fidei.

S. Dominicus primus Inquisitor.

Hæretici vulpecula.

Hæresos profigitor Dominicus Ordo.

1737 Nec mysterio vacare reor, quòd David cum focis in illum Engadditanum locum, *Dei Fides*, vel *rupes Fidei* dictum, se receperit, tunc maxime cum capitales, calidissimæque Saulis insidias, & hostiles impetus præ oculis habebat, & illudere cupiebat securus de triumpho. Etenim si Hebræum hujus nominis, *Saul*, etymologiam inquiras, multi putant, *Saul* dici primum illum Israelis Regem quasi *subal*, id est, *vulpem*, ob vulpinas insidias, & fraudes, quas adversus Davidem machinabatur. Lege nostrum *Mendozam* in lib. 1. Reg. c. 9. vers. 2. qui etiam observat ex aliis, *Saul* dici quasi *seol*, id est, *infernum*, qui nullis unquam malis satiatur; ita *Saul* erat immensus quidam gurgis, ac profundum barathrum vitiorum. Tales omnino Hæretici omnes extant, quos per *vulpes* significari constat ex Cant. 2. 15. *Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoluntur vineas*: & ex innumeris Doctoribus, quos ad illa verba allegant *Delrius*, *Sotomajor*, *Gislerius*, & *Sherlogus*. Ea enim, quæ de vulpibus in sacris, & humanioribus litteris produntur, cuncta in Hæreticos quadrant quoad malitiam, & fraudem, ut scitè expendit noster *Delrius*. Certè acerrimus Hæreseos profigitor, & harum vulpium venator, S. Dominicus extitit, extatque ejus Familia, fedulo excubans, ne quid Ecclesiæ vinea detrimenti capiat à vulpinis Hæreticorum artibus ad Tartarum spectantibus, quia ex Patre diabolo sunt. Quod commonstrat vulpecula illa, quæ solet debellata & protrita ad Dominici pedes appingi.

1738 Igitur in hac Prædicatoria Familia, *Exaltatus* mysticè quidem *Cades*, id est, *in sanctitate, Christus, ut sanctificatione, munditia; in sancta, mutata, palma, in consecrata*: in hac vera *Engaddi*, id est, *aspectu*, sive *fonte bonæ fortunæ, felicitatis, stella*, vel *stellarum*: in hoc benè præcincto Sodalitio, stellatoque exercitu: in hoc Christianæ Ecclesiæ præcelso loco dicto *Dei Fides*, sive *rupes Fidei* adversus Hæreticorum vulpinas artes, & calliditatem, dicitur corporatum Verbum exaltatum quasi *Palma*. Certè nullibi gloriosius exaltatus apparet Christus Dominus *ut Palma*, quam in Dominicano Ordine; in quo tum per se, tum etiam per hujus Religionis alumnos sanctitate, & doctrinâ præclaros tulit, fertque in dies innumeros de Hæresi, de Idololatria, de vitis triumphos ubique decantantissimos, quorum symbolum *Palma* est, ut in enodatione textus statuebamus; unde petere licet *Palmae* dotes, quæ in Christum sic exaltatum bellissime cadunt sublimiori intelligentiâ. Nempè, quòd longæva sit & æterna; quòd proceræ & sublimis; quòd semper virens; quòd salso gaudeat sale, & salis aspergine; quòd rignis, imò aquis aliquatenus salis; quòd pugnae simul & victoriæ imaginem præ ferat. Quæ omnia facile adaptè Christo Domino in Prædicatoria Familia exaltato, tanquam *Palmae* victoriali arbori. Et quidem huic victoriali *Palmae* Dominicana Religio acceptos referre debet triumphos, quos gloriosissime revexit & moribus, & verbis, & calamis de Ecclesiæ hostibus.

§. I I.

Historia Barac & Debora sub palma habitantis, ad Dominicanum Ordinem spectat bellicissime.

1739 Cujus rei quasi vaticinium quoddam extare reor insignem illam victoriam, quam *Barac*, comite *Debora*, de *Jabim* Gentium Rege, ejusque Duce *Sifara* peperisse legitur *Judic. 4.* & quam prophetico Cantu *Debora* celebravit cap. 5. ejusdem Libri. Rem totam percipies, si mentem ab Historia illa non dimoveas, & exactam nominum, quorum ibi mentio fit, & quæ prophetantia sunt, expendas significationem. Summatim agam, & quasi per epitomen, utrumque exercitum, conflictum, & victoriam oculis exhibebo, in Dominici, ac Dominicani Ordinis gratiam, quos signatim prophetice ibi prædictos, & eorum egregia facinora præmaturè denunciata, non malè quis existimabit. Ut verò facilis existimationem nostram mente complectaris, parallelam collationem subscribo; ut quemadmodum ex hydrographicae tabulae aspectu immensum nauta Oceanum pernavigat, ita ex brevissima hujus vestigiū cognitione, fusio-rem litterarii conflictus narrationem probè teneas.

§. I.

Jabin Rex in Asor, id est in feno habitans, sapientia carnis est in Hæreticis, in flagitiosis.

ad Rom. 8. 7.

Isai. 40. 6.

1740 Nam Jabin sonat sensus, seu intelligentia naturalis; vel quasi qui intelligit vel intelligere facit, homines scilicet, ad malum ingeniosos, ad hæreses acutos, ad flagitiosa solertes, ut explicat Serarius in cap. 5. quæst. 31. Regnabat in urbe *Asor* totius Regni capite, id est, *in feno*; id enim significat *Asor*. Nimirum sensus & intelligentia naturalis, quæ naturæ nimium hæret, Deoque adversatur, de qua ad Rom. 8. 7. *Sapientia carnis inimica est Deo*; hæc, inquam, in carnis regno imperat, regno sanè fluxu, & caduco, quod multis damnatum legimus *Isai. 40. 6. Omnis caro fœnum, & omnis gloria ejus quasi flos agri: exsiccatum est fœnum, & cecidit flos, quia spiritus Domini sufflavit in eo. Verè fœnum populus: exsiccatum est fœnum, & cecidit flos. Verbum autem Domini nostri manet in æternum.* Vide *Jacobi 1. 10. & 1. Petri 1. 24.* Hæc igitur carnalis sapientia in Hæreticis & flagitiosis hominibus sedem habet, qui ad nequitiam ingeniosi sunt, ad nova pravaque dogmata versuti.

divinum; quæ evangelizando pugnat & vincit. Rursus, sub *Palma* sedisse seu habitasse fertur, quæ divini verbi regnum fermisimum fore ostendebat, non instar regni oppositi, quod in feno est. Unde cum *Isaias* dixisset, *exsiccatum est fœnum*; addit: *Verbum autem Domini nostri manet in æternum*, invictum nempe instar victorialis *palmae* contra carneum, fœneumque sapientie carnalis regnum. Et quidem cum Christus Dominus in Prædicatoria Religione exaltatus, quasi *Palma*, sit; sub *Palma* Dominicana Familia habitare dicitur secunda de triumphis, quos acceptos referat *Palmae* sublimissimæ, quæ *Palma Debora*, vel (ut *Caietanus* placet) *Palma Debora* vocabatur *Judic. 4. 5.* id est, *Palma verbi*, aut *victoriale verbum*. Porrò quòd *Debora* inter *Bethel*, & *Rama* sub *Palma* sedisse dicitur, regnum verbi divini significat, inter *Domum Dei*, quam Israeliticam Ecclesiam ex re interpretatur à *Jacob*, primo statuto lapide, sic dictam, & inter *Rama*, quod nomen & similitudine, & significatione *Romanam Ecclesiam* significat; *Rama* enim nihil differt à *Roma*, id est, *excelsa*, de quo infra. Igitur media *Debora* inter *Bethel*, & *Roma* regnat, quia Verbum Dei tantopere resplendens in Prædicatorum Ordine, medium inter utramque Ecclesiam dominatur, utramque suæ subdidit ditioni, utriusque thesauris novis, veteribusque potitur. Hinc tam multi, tamque integerrimi Judices in Hæreticos assumpti ex Dominicana Familia Inquisitores, judicariâ *Debora* potestate examissim præsignatur.

§. I I.

Sifara, Dux sapientie carnalis, inobediens, infidelis, libidiniosus.

170

1741 Sifara enim etymologia est, *infidelis, inobediens*, à verbo *sur*. Communiter verò exponi solet *videns equum* vel *equus videns*. Reverà infidelitas obedientiam excludit, & è contra, quod regnum, quæ republica obedientiæ repagula impiè perfrerit, in infidelitatem præceptis transagitur; quod non solum in Gentilismo novimus, sed in *Bo-realibus* Provinciis dolemus. Quòd autem *Sifara*, *equus videns*, vel *equum videns* sonet, illum libidini addictum demonstrat, ut claret ex cap. 5. 29. Quid enim videt equus? Intellectu sanè nihil, corpore verò fœnum, avenam, equas, ad quas adhinnit, salaces. Ecce quem administrum, & Ducem sibi deligat sapientia carnis, *Sifaram* carnis licentiam, appetitumque; corporis sensum, pecunium motum omnem, infidelitatem, inobedientiam. Hujusmodi *Sifarae* sunt schismatici, Hæretici- que

§. I.

Debora sub Palma inter Bethel & Rama habitans, verbum, seu Oraculum divinum est in Prædicatorio Ordine.

*Debora*, insignis admodum fœmina, & Dei Prophetis, imò populi Israelitici *Judex verbum* significat, seu *Oraculum divinum*. Uxor dicitur *Lapidoth*, id est, *Lumen, fulgorum, lampadam*; quia luci est valde amicum Dei verbum, & prædicatio Evangelica tenebris adversa, utpote benè agens. Hoc tam fulgens, tanque coruscum Dei verbum, sive oraculum divinum nimio opere suas exerit vires in Prædicatoria Familia, quam ab exordio divinis, imbuit & illuminat splendoribus; quandoquidem penè cuncta ejus actio eò spectet, ut Dei verbo sive prolato, sive scripto mundum illustret, longè amandatis errorum tenebris. Quòd autem hoc verbum per fœminam significatur, an dissimulatio est virtutis divinae, imbellem se simulantis in Prædicatoribus? *Psalm. 67. 13. Dominus dabit verbum evangelizantibus virtute multa.* Multi ex Hebræo efferunt, *evangelizantibus exercitu multo*. Hoc Dei Verbum quasi institum dixerim ipsi Prædicatorio Ordini, qui propterea queat vocitari *Debora Evangelica*, id est, Evangelii Verbum, & oraculum

Dei verbum amicum lucis.

Ps. 67. 13.

Divini verbi regnum firmisimum, triumphale.

Isai. 40. 6.

§. I I.

Barac, S. Dominicus Dux divini verbi Prædicatorius, obediens, fidelis, purus.

*Barac* Dux præficitur vel divinitus per Angelum, de quo cap. 5. 23. vel per propheticum lumen, ut Serarius putat in cap. 4. q. 9. Hunc præ aliis multis, quia fortis, prudens, ac Deum timens, fidelis, & obediens, elegit Deus *Debora* Ducem ad pugnas, ad triumphos. Hunc *Barachum* putant *Debora* maritum fuisse Rabbini plerique, *Andreas Masius*, & *Historiæ scholasticæ* compilator. Alii verò, in quibus *Genebrardus*, *Debora* Patrem dixerunt. Fuit ex tribu *Nephtalim*, & habitator *Cades*, vel, ut *LXX.* legunt, *cadis*, seu *Engaddi* cap. 4. vers. 6. *Barac* autem etymon est *fulgur, coruscatio, splendor*, à verbo *Barac*, fulgurare, coruscare, fulgere: unde nonnulli arbitrantur illum eundem esse, qui *Lapidoth* appellatur capite 4. vers. 4. id est, *fulgura*, cujus erat uxor *Debora*. Certè *Debora*, id est, *verbi divini* in Prædicatorio

קרב